

ti, Virginem fuisse sine culpa originali conceptam, tamquam probabili, pię, & religioſę, numquam tamen Myſterium definitiuit; uti Pontifices omnes in ſuis Conſtitutionibus preſtantur. Quare auctoritas Patrum in ſuo robore perſeuerat; quia adheſio pię ſententię non eſt ejuſdem definitio.

Ad obiectum Picinini inſultantis Pontificem, & deridentis Theologos primo reſpondit Bellarminus, qui ſibi idem argumentum objecit tamquam ab hereticis illius temporis adinventum, oſtendendo celebrationem Feſti Conceptionis non eſſe definitionem Myſterii hiſce verbis in Tom.2. contr.lib.3. cap. 16. *Fundamentum huius Feſti præcipuum non eſſe Conceptionem Immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futura. Qualiſcumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipſo, quod Conceptio fuit Matris Dei, ſingulare gaudium affert Mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis; præſertim cum non ſine miraculo ex matre ſterili concepta fuerit. Itaque hoc Feſtum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam. Ex quo clariffime conſtat, celebrationem Feſti longe diverſam eſſe a definitione Myſterii.*

Confirmatur ex eo, quod Officia, Miſſę, & Feſta non ſemper celebrantur ab Eccleſia in argumentum fidei, ſed celebrantur etiam in testimonium, & profeſſionem pietatis. Quot Feſta Beatę Marię Virginis celebrantur per annum? Uſque ad decem & ſeptem enumerantur in Ordinario Romano: & tamen quis dicet Feſta Roſarij, Carmeli, Sanctę Marię de Mercede &c., immo & Feſtum Preſentationis designare illa Myſteria eſſe de fide? Hinc Natalis Alexander Sæc. 2. diſſer. 16. §. 21. erudite advertit, in quibuſdam antiquis Martyrologiis, Romano, Uſuardi, & Adonis indicari Feſtum Conceptionis Sancti Joannis Baptiſtę, quin ex hoc diei queat, Sanctum Joannem fuiſſe ſine culpa originali conceptum. Poterit ergo celebrari Feſtum Conceptionis Marię, præciſa definitione Myſterij. Decipiuntur ergo Heterodoxi arguendo definitionem Myſterij ex celebratione ejuſdem Feſti. Quare locus Theologicus ex auctoritate Patrum illeſus ſubſiſtit, eſto